

cerdos filius suozmundi, quod *Bavariae* Oppidum *Augusta* non procul abest, et 5. *Jul. Mechtbildis fundatrix*, quae quodnam Coenobium fundaverit, difficile est dispicere; Codex enim et Virorum et Mulierum fuit, ut multa marginibus et latina et vernacula lingua adlita fidem faciunt. Praecipue manus est Mulieris, quae ad plurimos Psalmos, qua opportunitate dicendi sint, adnotavit. Ita v. g. fol. 39. ad Psalm. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit &c.* legas: *Disen salm sprich raubarn vnt lognarn vnt spottarn daz si got wecher. Fol. 43. p. 2. ad Psalm. Te decet hymnus &c.* sic: *Disen salm sprich ze pertbnæbten an dem zweiften tage dem ebigen liehte &c.* ubi τὸ *Pertbnæbten* non Vigiliam Epiphaniae, ut amico olim *Pilgramio* in *Calend. Chronol.* p. 180. visum, sed totam ejus Octavam ob additum *an dem zweiften tage* designat. In *Litaniis*, quod peculiare, *Tertulinus Mart. Hredrudis* Virgo invocantur, e quorum contentiore indagatione, si operae pretium foret, fortasse quis ad primos hujus Psalterii Possessores devenire possit.

LXI.

R. 3108 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 242. 4. columnis tribus nitidissime exaratus, coloribus speciosus, multis initiorum Literis, et praecipue prima B, eleganter deauratis, ita servatus, ut nuper scriptus videri possit, et olim *Monasterij sancti Johannis in*

Seytz ord. Cartusienfis, quod fuit in inferiore *Styria*, *Psalterium Davidis* est lineis laxis intercepta *Glossa* dicta *lineari*, et *ordinaria* utrumque latus stipante. Accedunt sub finem *Cantica Biblica* et *Fides Athanasii* dicta, nec ipsa expers *Glossae*, quae ita orditur: *Hic beatus athanasius liberum arbitrium posuit (nempe Quicumque vult &c.) sicut dicitur in psalmo. Quis est homo, qui vult vitam. et in evangelio. qui vult venire post me &c.* Dolendum, e tam illustri τῆς Καλλιγραφίας Monumento Folium, quo *Psalmus LI.* continebatur, excidisse usque ad verba: *tate sua. Ego autem sicut oliua fructifera &c.*

LXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 522 XIV. Folior. nunc 114. 8. eleganter exaratus, literis initiorum floridis et picturatis *Psalterium Davidicum* est, Officio Chori accommodatum, praeceunte *Kalendario*, e quo nihil divinare est. Psalmi vulgatae Versionis nullis numeris insigniuntur. Duo glossis germanicis illustrati sunt, videlicet Sextus: *Domine ne in furore tuo &c.* et Tricesimus sextus: *Noli aemulari &c.* Ad illum fol. 9. notantur: *corripias zuchtigen. turbata erzittert. eripe lozz. gemitu seufsten. inueteravi eraltent. discedite entweicht. deprecationem vleben. erubescant schamrot. vehementer vast. convertantur bechert.* Ad hunc fol. 24. *Noli aemulari &c. Nit hab neid uber dy vblen. neque zelaveris nit ziirn. arefcent dornt.*

dornt. educet verpringt. subditus vnder tenig. noli aemulari nit neid tragen. define ab ira gelaub dich des zorn. furorem grime. malignantur vbl tuent. exterminabuntur werdent vertriben. sustinentes dy do peyent. observabit war nympt. stridebit grisgramt. mutuabitur ent nimpt. Praeterea Psalmi LXXVI. v. 11. fol. 52. sic redditur: Do sprach ich. nu wil ich an hebn. dy wandelung cham von gots hant. Fol. 104. absque ulla indicatione junguntur Cantica biblica, Hymnus Te Deum, Fides dicta Athanasii, Oratio dom. Symbolum Apostol. et Litaniae OO. SS. quae tamen jam in Apostolis abrum-puntur.

LXIII.

R. 1070 Codex membraneus latino scandicus Sec. XIV. Folior. nunc 68. 4. caractere crasso, luculento per-scriptus, literis initiorum auro coloribusque distinctus, et Hafnia, ut videtur, ad nos delatus est *Psalterium Davidis* e versione vulgata principio, sineque multatum ita, ut nunc incipiat a *Psalmi XVI. v. 8. A resistitibus dexterae tuae &c.* et cum *Psalmi CIII. v. 6. Abyssus sicut vestimentum &c.* terminetur. Quod porro eximium habet, Significata sunt veteri Lingua Scandinaviae, Islandica, f. Norvegica singulis vocibus latinis corrente calamo imposta. De introductione christianae Legis in Islandiam per *Fridericum* quendam Episcopum, quem in Saxonia inventum a. 981. *Thor-*

vallus Kodranis filius in Insulam adduxerat, extat *Kristni* — Saga five Historia eo introducti Christianismi edita *Hafniae* 1773. 8. Ex eadem novimus Sedem episcopalem priorem *Skalbolti* fixam a. 1056. ab *Isleifo Gissuri* filio, alteram in *Holis* a. 1107. a *Johanne Oegmundi* filio. Facile porro statuemus Sacrorum Curatoribus cordi fuisse, novello Gregi divinorum Librorum praebere notitiam, iisque interpretandis calamum adhibere. Et meminit *Arngrim. Jonas* in *Specim. hist. Islandiae, Amst. 1643. p. 128. 4.* Bibliorum integrorum *Islandicorum* jam Sec. XIII. splendide descriptorum. An ad eam aetatem ascendant Glossae nostrae, definire non possum, neque omnes ob ignota mihi scribendi compendia legere ausim, adferam tamen speciminis ergo aliquas: *Sialldur auga*, pupillam oculi. *Vnder skugga vengia*, sub umbra alarum. *Kastandi*, projicientes. *Bygiandi*, habitans. *Suerd*, framea. *Dyrd thin*, gloria tua. *Hialp*, refugium. *Upptakari*, susceptor. *Snorur*, laquei. *Kall*, clamor. *Eyru*, aures. *Jord*, terra. *Reykr*, fumus. *Elldr*, ignis. *Afionu*, facie. *Glædr*, carbones. *Vnder fötum*, sub pedibus. *Tialldbud*, tabernaculum. *Sky*, nubes. *Hagl*, grando. *Hata*, oderunt. *Hreinleika handa*, puritatem manuum. *Meinlaus*, innocens. *Hirta*, cervorum. *Bærdaga*, proelium. *Boga eyr*, arcum aereum. *Armleggi*, brachia. *Læring*, disciplina. *Fotspor*, vestigia. *Krapti*, virtute. *Upprisande*, insurgentes. *Ad baki*, ad dorsum.

Psalm